

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

61
56.
Carmen

DE

VITA ET OBITU NO-
BILIS ET INTEGERRIMI

VIRI HENRICI ECKARTS
in Vveddelitz

Scriptum

Ad

NOBILEM ET MAGNIFICVM VIRVM
*Wilhelmum à Pesswitz capitaneum Neoburgensem &c.
amicum suum colendum*

per

Henricum Eichen Bernburgensem.

Indicatio Anni, mensis, & diei emortualis.

*Inter It Vt non Vs seD spe peIore noVeMber,
noX petIt, Vt sVblto gLans sVa fata ferat.*

INDICATIO ANNI EMORTVALIS
ex cantico Angelorum Luc. 2,

Honor VnI In sVpernlS Deo, paX sVper terra, &
hoMInIbVs bona VoLVntas.



Serveſtæ Excudebat Bonaventura Faber.

ANNO M, D, XCV.

Pa. Henrico Faber

IN MALEVOLOS SVOS.



*Vid mihi vobiscum est deinceps, mea cura,
Ingēio rodor qui satis ipse meo: (Camena,
Quod propter toties sonat ista securib. Ilex,
Inq, meum Momus iurat acerba caput:
Fortunamq, dolet, quod doctis dicor amicus
Nobilibus, Domino quod probor ipse meo.
Liuor abi, bene te noro, sine rodere Vatem:
Labitur in foueam saepe magistra suam:
Cui DEVS & fortuna fauet, quis tendere contra
Quis velit, hac ad te Zoile, cede DEO.
Me premat, & verū premat, at non opprimet hostis:
Rumpere, quo capi sic tamen ibo pede.
Ecce dies veniet, mea qua lugubria ponam,
Tu marebis, ego risero: Mome sat est.*

CARMEN.

Droh dolor, ecce meos primus cadit inter aicos,
Flos veterum virtusq; virū, quos protulit ætas,
Iam cadit ille virum, quem non pietatis egētem
Abstulit atra dies, & funere merfit acerbo.

Hunc viuum vt colui, sic nec post fata quiescam
Carminibus celebrare meis: iam nænia corpus
Cantet, & exuuiis diuina mente solutis
Iusta paret. Tu clare meos V Vilhelme virorum
Gloria nobilium, quos concita funere virtus
Elicit, ingenua singultus fronte serena.

Ille suos clara numerans ab origine partus,
Tot proauos, at auosq; & pictos ordine vultus
Maiorum ostentat, præclaraque facta repostis
Explicat è chartis, vt quondam sanguinis ordo
Res Mersburgiacas curarit, & auspice fato
Asc aniam tandem, Salanaque venerit arua.
Henricum hæc nuper magnatibus edidit amplis
Ampla domus, qui gente licet sit clarus avita:
Abnuit hoc tamen esse modo. stat sensus & æquum est,
Vnica quod Virtus de nobilitate triumphet.
Ipse ego scrutatus reuoluti sydera cæli
Vidi nec fallor partus Venerabile numen
Iunonem fouisse suos: vix ubere raptus
Semina prima sacræ virtutis & indolis altæ
Præsentat, studiisque operam puerilibus addit,
Acceditque scholas, elementaque prima reportat:

Sed celer his abire castris, placet inter equestres
Viuerē lustra duo, & solitis incumbere curis,
Dij bene; nimirum non uoto uiuimus vno,
Sæpius & videas uno de semine fratres,
Vivere diversam Genii molimine vitam.

His super intentus, magis & magis acer anhelat
Nobilibus seruire viris, & viuerē voto:
Nunc hilari egregios ascendere fronte caballos
Optat, & in celeres sinuando vertere gyros:
Nunc timidas agitare feras, nunc fallere visco
Alituum genus, atq; omnes intendere neruos
Res agat, vt matura virum se proferat ætas.

At iuuenis cæco quamprimum faucibus igni
Carpitur, agnoscit flammam & talia fatur:
Tu vel pallentes adigas me fulmine ad vmbra
Ioua pater, quam te violem aut tua iura resoluam,
Illa meos habeat, quam tu mihi iungis, amores.
Talibus orantem dictis, votisq; morantem,
Dicitur hic subito diuina per agmina rumor
Audiuisse Deum; iam poscere fata maritum,
Cui se pulchra viro dignetur iungere virgo.
Nec mora mox V Vilhelme tuum fatalibus ausis
Affinem loca quæq; vocant, potiturq; sorore,
Tres sibi qua natos, & quinq; micantia cæli
Sidera, filiolas, thalami spolia ampla recepit:
Harum vnā multos matris præ millibus annos
Fertur amare proci, quis sit non prodere fas est:
Si tamen Ascraeis rata sunt præconia musis,

Inj

Ingenio pollere ferunt, & ad omnia promptum,
Inprimis tam aptare fides, quam ludere versu.

At furiiis mortis mens effera ne quid in ausum,
Aut intentatum solito promore relinquat:
Consortem heu omnis curæ, casusq; leuamen
Exhalare iubet, prauaq; excedere terra,
Flet pater, & genitrix, flent nati, omnesq; propinqui,
Ille tamen solans informes pignore luctus,
Vir manet, & fato, cui cedunt omnia, cedit.

Quid faceret? quo se spoliatus coniuge ferret?
Saxonicae rursus connubia virginis ambit,
Cui genus à proavis ingens, cui castus in ore
Stat rubor, & puræ commendat gratia frontis.

Hic quiddam mentita rati fors instat, & amplas
Larga viro dat & addit opes: quid pignora lecti,
Quid memorem generos fatali lege receptos,
Ille sibi plaudens per limina ducit amicos,
Connubiiq; ostentat opes, sociamq; paratam.
Sed nihil est adeò firmi solidiq; tenoris
Quod non Parca metat: nostra hæc ah vita sodales,
Plus aloes quam mellis habet: pater ocyus ægri
Nunc sobolis funus gemit, & crudelia secum
Tempora, nunc lites, hominum nunc corda malorum
Conqueritur, mixtumq; agonito & fraudibus orbem.
Nunc videt imminui robur, nunc corporis artus
Paulatim frangi, notumque accrescere morbum,
Id metuens, fortisque memor, fatigue trahentis,
Multa super Diuis rogitat, super æthere multa,

Et spe' damna leuat: quàm me Deus, inquit, amicè
Flectis ad obsequium, tua si tua certa voluntas
Hæc mala me perferre, mori me deniq; coges,
Pronus ero: sedet ah sedet imis sensibus horror
Criminis admisi, & culpæ porrigo luendæ.

Talibus intento votis, & sana paranti,
Clam Parcæ data fila legunt, plus plusq; medendo
Ægrescit, metasque dati festinat ad æui.
Tertia Parcarum longos miserata dolores
Imminet, & corpus soluit mole, omnis & vnà
Dilapsus calor, atque in cælum vita recessit.

O Lachein duram, quæ quenque sub effera mortis
Regna trahit, Glandique suum decussit honorem,
Sit sanè, & nostris depasta parentibus arbor,
Voluat ita casus, & inevitabile fatum:
Nil tamen in sanctos, nihil in virtutis alumnos
Iuris habet, partæ suberunt vestigia laudis.

Ille Deo charus, fidis is charus amicis
Vixit, & exhaustos promissis iuuit opellis,
Tantus ad hunc confluxus erat, mihi plurima testis
Portio nobilium, quos voce affatur amica:
Non ita, non hac ite die, vos crastinus orbis
Auxilio lætos dimittet, & ære iuuabit.
Quid memorem patriam, quæ re per sæpe leuata,
In lacrymas fletusq; ruit, dulcesq; requirit
Glandis amicitias, veteris stat gratia facti:
Nos ipsi dum vita manet dicemus honores
Officium propter, Specimenq; fauoris apertum,

Præ

Prætera sincerus erat, sincerior auro,
Vir nive candidior, sine felle, sine arte pelafga,
Vera feram cùm fata viri me limine sistunt
Inscius exploror, num per me Creta loquatur;
Is nil tale videns, cum mens cane peius & angui
Vaniloquos fugiat, primis me ascribit amicis,
Hoc ego per totum haud inglorius eloquar æuum,
Me placuisse viro qui turpi arcebat honestum,
Præteream nullo turgentia pectora fastu
Propter opes, cælo quas Mammon lapsus ab alto
Largiter impertiuit ei, quibus vsus, vt æquum est,
Atq; humili incessu patuit pius ætheris hæres,
Vos ô vos luctus pia quos miseratio tangit
Sistite, numen adhuc rerum moderatur habenas
Is lachrymis vitam dabit, & miserebitur vltro

EMVSIS LAVS AMPLA VENIT
CVM FRONDE CORONANT.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808




nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





61
56.

Carmen

DE

VITA ET OBITU NOBILIS ET INTEGERRIMI VIRI HENRICI ECKARTS in Vveddelitz

Scriptum

Ad

ROBILEM ET MAGNIFICVM VIRVM
*Wilhelmum à Pesswitz capitaneum Neoburgensem &c.
amicum suum colendum*

per

Henricum Eichen Bernburgensem.

Indicatio Anni, mensis, & diei emortualis.

*Interit Vt non Vs seD spe peIore noVeMber,
noX petIt, Vt sVbItto gLans sVa fata ferat.*

INDICATIO ANNI EMORTVALIS
ex cantico Angelorum Luc. 2.

Honor VnI In sVpernlS Deo, paX sVper terra, &
hoMInIbVs bona VoLVntas.



Servestæ Excudebat Bonaventura Faber.

ANNO M. D. XCV.

B. H. ... Faber ...

